



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod divina dulcedo omnem præsentem mundi amaritudinem tollit, 22

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te.

3. Magnus enim tu es, Domine Deus meus, & immensus; nec est finis magnitudinis tuæ, nec est numerus sapientiæ tuæ, nec est mensura benignitatis tuæ, nec est finis, nec numerus, nec mensura retributionis tuæ: sed sicut magnus es tu, ita magna sunt donaria tua: quoniam tu ipse es præmium, & donum omnium legitimorum tuorum pugnatorum.

C A P V T XXII.

Quod divina dulcedo omnem præsentem mundi amaritudinem tollit.

1. **H**Æc sunt beneficia magna tua, Domine Deus, sanctificator sanctorum tuorum, quibus repleturus es inopiam esurientium filiorum tuorum. Quoniam tu es spes desperatorum. Tu corona spei quæ ornata est gloria, præparata vincentibus. Tu famelicorum satietas æterna, danda esurientibus. Tu consolatio sempiterna, qui solis illis te tribuis, qui consolationem hujus mundi pro tua perpetua consolatione contemnunt. Nam qui hic consolantur, indigni tua consolatione habentur. Sed qui hic cruciantur, à te consolantur: & qui participant passionibus, participant & consolationibus. Nemo enim potest in utroque sæculo consolari; nec potest quis hic & in futuro gaudere: sed unum necesse est ut perdat, qui alterum voluerit possidere.

2. Hæc

2. Hæc ubi confidero, Domine consolator meus, in hac vita renuit consolari anima mea, ut digna habeatur tuis consolationibus æternis; quia iustum est, ut amittat te, quicumque in aliquo alio magis consolari eligit, quam in te. Et obsecro summa veritas te per te, non permittas me in aliqua consolatione vana consolari. Sed peto ut omnia mihi amarescant; ut tu solus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inæstimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur.

3. Tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit. Tua dulcedo craticulam beato Laurentio dulcem fecit. Præ tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habitus sunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas securus ad crucem, & gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hæc tua dulcedo ipsos Apostolorum principes sic replevit, ut pro ipsa crucis patibulum unus eligeret: alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque gustanda veneni poculum intrepidus Ioannes potavit. Hanc vero ut gustavit Petrus, omnium inferiorum oblitus, clamavit quasi ebrius, dicens: Domine, bonum est nos hic esse, faciamus tria tabernacula: hic moremur, te contemblemur, quia nullo alio indigemus. Sufficit nobis Domine videre te, sufficit (inquit) tanta dulcedine satiari. Vnam enim
stillam

stillam dulcedinis ille gustavit, & omnem aliam fastidivit dulcedinem. Quid, putas dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis divinitatis tuæ gustasset, quam abscondisti timentibus te? Hanc tuam dulcedinem ineffabilem & illa gustaverat virgo, de qua legimus, quod latissima & glorianter ibat ad carcerem, quasi ad epulas invitata. Hanc ut reor & ipse gustaverat, qui dicebat: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Quique monebat: Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Hæc est enim illa beatitudo, Domine Deus noster, quam expectamus daturum te nobis, pro qua tibi Domine continue militamus: pro qua tibi mortificamur tota die, ut in tua vita tibi vivamus.

C A P V T X X I I I .

Quod tota spes nostra, & desiderium cordis nostri debeat esse in Deum.

I. **T**V autem Domine expectatio Israel, desiderium ad quod suspirat cor nostrum quotidie, festina; ne tardaveris. Surge, propera, & veni; ut educas nos de isto carcere ad confitendum nomini tuo, ut gloriemur in lumine tuo. Aperi aures tuas clamoribus lachrymarum pupillorum tuorum, qui clamant ad te: Pater noster, da nobis hodie panem nostrum quotidianum; in cuius fortitudine ambulemus die ac nocte, usquequo perveniamus ad montem sanctum tuum Oreb. Et ego parvulus inter parvulos fami-
liz